Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0001-0
DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0002-6

27.
5
1703,5

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

DE

# SPONSALIBUS CLANDESTINIS,

*Sub Præsidio Altissimi*,

EX CONSENSU INCLYTI JURIS-CONSULTORUM ORDINIS IN CELEBERRIMA, PERANTIQVA MOGUNTINENSI ELECTORALI ACADEMIA QVÆ EST ERFURTI,

## PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores, Immunitates & Doctoralia Privilegia legitimè riteq; conſequendi,*

Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni
decenter ſubmittit

## MARTINUS SCHINDLERUS
Schneebergâ-Misnicus,

*IN AUDITORIO JCtorum MAJORI*,

Horis conſvetis.

*A. O. R. 1703. die 30. Junij.*

ERFORDIÆ,
*Typis Joh. Henr. Groſchij, Acad. Tyogr.*

24.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0003-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0004-8

Viris & Juvenibus, Mulieribus & Virginibus, Majoribus & Minoribus, ætate varijs, absque Titulis & Honoribus decenter competentibus, innominatis, Fratri Germano adhuc viventi, præter duos mortuos, Chariſſimo, Sororibus, vitam, unicâ mortuâ, adhuc agentibus duabus dilectiſſimis, qui, quævè ex Patris Mei, Matrisquè Meæ dilectiſſimæ b. m. utriusque, Proſapia ſunt Progeniti, Progenitæ; Nec non omnibus exinde dependentibus adhuc viventibus Patruelibus, Matruelibus, Affinibus, Nepotibus, Pronepotibus, Abnepotibus, ut & Meis quinque Filijs, duabusque Filiabus, & per hanc unam acquiſito Chariſſimo Genero, & per illorum unum, perceceptæ Nurui ſvaviſſimæ; Ex hac verò Natis duobus Nepotibus, & quidem dilectiſſimis, uni ex Genere Maſculino, alteræ Fœminino; nec non ex Filiâ elocata in lucem progenitæ adhuc Nepoti, alterâ mortuâ.

Unico quaſi verbo:

Omnibus & ſingulis ex Benedicta & Ampliſſima Proſapia SCHINDLERIANA Natis, Agnatis, Cognatis, Prognatis, penè innumeræ Proli, exoptat, â Deô Ter Optimô, Maximo παμμακάρια πάντα non ſolum in hoc terreſtri, ſed demum etiam in cœleſti orbe, decenterque & reſpectivè cum omni Reverentia & Honoris proſecutione

*Diſſertationem hanc Inauguralem ad perpetuam Eorundem Memoriam*

D. O. D.

*Ex Proſapia SCHINDLERIANA ſtipitis ſuprà dicti, Natus FILIUS Sextus,*

MARTINUS SCHINDLERUS,
Autor & Defenſor.

I. N. D. N. J C!

ANtequam Matrimonium contrahatur vel Nuptiæ fiant, ſponſalia legitima præcedere ſolent, illud autem in Jure Divino, Civili & Canonico eſſe licitum, modò legitimè fiat, non eſt quod dubitemus; cum DEUM ipſum Autorem Conjugij venerari oporteat, uti clarè patet, *Geneſ. cap. 1. verſ. 27. & 28. & cap. 2. verſ. 18. cap. 5. verſ. 1. & 2. cap. 9. verſ. 1. Matth. cap. 19. verſ. 4. & ſeqq.* eſſe quoque non ſolum pium & Autori Deo noſtro gratum, acceptumque, ſed etiam Filio Dei, unico noſtro Salvatori & Redemtori totius humani generis, vel inde patet, quod ſuâ honorificâ præſentiâ & miraculô ſplendidisſimo primô, nuptias in Canâ Galilææ celebratas, cum Matre ſuâ benedicta, à Nobis ſpecialisſimè honoranda, venerandaque clementisſimè illuſtraverit, uti legitur

apud *Johann. cap. 2. verſ. 1. & ſeqq.* Inſuper matrimonium à Deô, ter optimô, maximô honoribus varijs fuit condecoratum, ſiquidem ipſemet apud primos Parentes noſtros, Adamum & Evam, in eorum conjugiô exſtitit Pavanymphus, & Adamo Uxorem ſuam gratioſiſſimè non ſolum adduxit, ſed & Sacerdotem ſe præſentavit, qui eos copulavit & benedictione largiſſimâ ornavit, ornatisque certas Conjugij leges, quibus obtemperandum, præſcribere voluit, uti apparet *ex Cap. 1. Geneſ. verſ. 28. cap. 2. verſ. 24.* Nec minus Protoplaſtorum noſtrorum Parentem ſe exhibuit, quando dictam Evam Adamo non modò in matrimonium dedit & elocavit, ſed etiam ipſi à ſe elocatæ opulentiſſimam quaſi dotem, nimirum totum mundum vel univerſale omnium rerum Dominium exhibuit, *uti alleg. Cap. 1. Geneſ. verſ. 28.* innuere videtur. De Honeſtate Conjugij quoque dubitari haud poteſt; Matrimonium enim eſt quaſi medicamentum ab honeſtate depromtum, adverſus vagas hominum libidines, ſcortationesque, ut docet Apoſtolus *1. ad Corinth. cap. 2.* dicens: Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem ſuam, & unaquæque virum ſuum; & exinde Plutarchus *de educat. liberor.*

haud

haud ineptè admonere voluit: Tutiſſimum eſſe vinculum juventutis, quò iſti, qui libidinibus & voluptatibus ſunt dediti, atq́ue reprehenſionibus obtemperare detrectant, devinciri poſſint; Neceſſitatem ejusdem varius finis evincit,& quidem primarius, ſobolis videlicet procreatio, ex hac enim propagatur & conſervatur Genus humanum ſecundum legem Altisſimi *Geneſ.cap.1. verſ. 28.* ubi dixit: Creſcite & multiplicamini & replete terram,hinc benè Juſtinianus noſter,*Novell.22.in Præfat.* ait: Si enim Matrimonium ſic eſt honeſtum,ut humano generi immortalitatem videatur artificiosè introducere & ex filiorum procreatione renovata genera manent: Jugiter DEI clementia,quantum eſt posſibile,noſtræ immortalitatem donante naturæ,rectè nobis ſtudium eſt de nuptijs; unde notatu digna ſunt Godofred.*ad al. leg.* præfationem verba: dum ſcribit: etiam humanum genus nuptiarum ſolo interventu reparari,ac propterea hanc de Nuptijs conſtitutionem, majore Sollicitudine ſuſcipiendum eſſe; Nuptijs quoq́ue immortalitatem quandam generis humani Numa introduxit, Theophil. *Inſtit.de Jure Naturæ*; & ſanè non immeritò, quia per bonam

con-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0009-9

conſequentiam ex legitimô Conjugio Eccleſiæ Chriſti in totô ferè terrarum orbe,& præprimis in hiſce terris colligitur,collecta propagatur, propagata ſuſtentatur; quod etiam Conjugiô deficiente, ſi nimirum quivis abſtineret à matrimoniô, maximopere noxium eſſet Rebus Publicis: Quæ & ex Conjugiô continuatò non ſolùm augentur, amplificantur etiam,multò magis ſervantur; quò nimirum omnes ſtatus in totô hoc mundo, exinde quaſi reſurgere queant , & quoniam Nuptias Sponſalia,ut antedictum,antecedere ſolent, atque Sponſaliorum alia ſint publica,alia clandeſtina; ideò in Diſputatione noſtra Inaugurali Materiam de CLANDESTINIS SPONSALIBUS aliqualiter proponere placuit, cum propter temporis penuriam tractare plenius non licuerit; Faxit DEUS, quò fiant omnia in Ejus Nominis Gloriam, Proximi, meique propriam non terreſtrem ſolum,ſed tandem cœleſtem ſalutem!

# CAPUT I.

## De Sponſaliorum Etymologia, Definitione & Diviſione.

*TH. I.*

PRius quam ad rem ipſam perveniamus [I.] breviter Etymologiam Sponſaliorum aſpicerere venit. Sponſalia à ſpondendo dicta eſſe Ulpianus *in l.2. ff.3.b.t. innuit.* Vocabulum enim ſpondendi etiam ſolenne fuiſſe inſtipulationibus ex §.*1. Inſt. de Verb. Oblig.* patet, inde evenit, omnem ſtipulationem, promiſſionemque ſponſionis nomine veniſſe, *l. 7.ff. de verb. ſign. l. 19. §.2. ff.de Ædil.Edict.* propterea moribus veterum præprimis Romanorum fuit uſitatum & legibus condecoratum futuras ſibi uxores, quamvis & hoc quandoque pactô, & non ſemper ſtipulatione factum ſit, ſecundum *leg. 2. t. 4. C. & l. f. ff. b. t.* ſpondere; unde etiam ſponſus, ſponſave habuit appellationem *l.3.ff.b.t.* ejusmodi exempla quamplurima de ratione ſpondendi veterum refert Briſſonius *Tract. de form. & ſolenn. Pop. Rom. Verb. lib. 6. p. 543.* Cypræus *de Sponſal. c. 3. §. 3. & ſeqq.* Germanicè dicuntur ſponſalia, Verlöbnüße/ à quiqusdam verò die kleine Hinfühlung/ oder das Hinfühlungs-Feſt / ex hâc forſitan ratione, quia ſpondendo Sponſus & Sponſa ſibi invicem

porrigunt manus, easque palpando reciprocè ſtipulationem perficiunt; ſecundum vetus illud proverbium: En dextram, fidemque. Etenim *l. 2. ff. de ſponſal.* Ulpianus ſtipulationem illam & ſponſionem moribus Veterum referri demonſtravit, haud tamen negando, ſtipulationem poſſe adhuc adhiberi; quod tamen non adeò ſtrictè obſervatur, quia ſtipulationum ſolennitas inſponſalibus admodum remiſſa, *l. f. ff. de ſponſ.* ubi legitur: in ſponſalibus conſtituendis parvi referre per ſe & coram, an per internuncium, vel per epiſtolam, an per alium hoc factum ſit, quod minime procederet, interveniente ſtipulatione ſi opus eſſet, quæ inter præſentes non niſi conceptis verbis fieri poteſt, *l. 1. §. 1. ff. d. Verb. Oblig.*

*TH. II.*

Miſsâ nunc Etymologiâ Sponſaliorum, ad definitionem eorum in genere progredimur; Sponſalia dicuntur mentio & repromisſio futurarum nuptiarum, *l. 1. ff. de Sponſ. c. noſtrates 30. quæſt. 5.* Notanter dicitur mentio & repromiſſio, quia per mentionem intelligitur interrogatio, germanicè die Ehewerbung / per repromiſſionem verò reſponſio, Germanicè die Zuſage; igitur promisſio futuri matrimonij non poteſt eſſe ſine conditione mutuæ promisſionis.

*TH. III.*

Sed cum non unô eodemque modo ſponſalia contrahentur, ideò diſtingvuntur ea de jure Canonicô [I.] in ſponſalia de præſenti, & de futuro; illa dicuntur, quæ per verba temporis præſentis; hæc autem, quæ per verba futuri temporis contrahuntur, *c. pen. x. de ſponſ.* quæ tamen diſtinctio juri civili eſt ignota, ubi omnia ſponſalia

ſunt

ſunt defuturo, ſuntque ſpes futurarum nuptiarum *l. 6. ff. de ſponſ.* & ideò hæc juris Canonici diviſio non adeò congrua videtur, & minus toleranda dicitur à Carpzov. *in Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. tit. 2. defin. 17. n. 4.* [II.] Sponſalia alia ſunt pura, alia conditionata; Hæc dicuntur, ubi conſenſus ſub certa aliqua conditione adhuc ſuſpenditur; Illa verò, ubi absque conditione ſponſalia ſunt contracta, [III.] Dividuntur ſponſalia in jurata & injurata: Jurata dicuntur, quando juramento de futuris nuptijs celebrandis vallata eſt promisſio, *c. 17. ff. de ſponſ.* Non jurata ſponſalia ſunt, quæ absque juramento contrahuntur, *c. 1. & 4. X. de ſponſa duor.* (IV.) Denique ſponſalia alia ſunt publica, quæ coram teſtibus, cum conſenſu parentum & ſic legitimè ſunt contracta, ad quæ ad minimum duo teſtes ſunt neceſſarij, *l. 12. ff. de Teſt.* In ore enim duorum vel trium teſtium conſiſtit verbum, Devter. *17. verſ. 6.* alia *Clandeſtina*; quia autem de his plura in Diſputatione noſtra ſumus prolaturi, hic ulterius de ijs diſſerere omiſſibus & ſeqq. Capit. reſervamus.

## CAPVT II.

### *De Clandeſtinis Sponſalibus in genere, eorundemque Diſtinctione, Nullitate & contrariâ Validitate.*

*TH. I.*

SPonſalia Clandeſtina ſunt, quæ ſine interventu teſtium celebrantur; item quæ à liberis ſine conſenſu Parentum ſunt inita, & ſic haud legitimè facta. Hinc eſt, quod dividantur

 in

in clandeſtina propiriè talia,& impropriè talia ; Clandeſtina propriè talia ita dicta ſunt, quæ clam, remotis teſtibus & arbitris fiunt ; & hæc omninò ſunt prohibita, idque ob dignitatem & honeſtatem matrimonij publicam vid. *Carpz. part. IV. Conſtit. 20. defin. 7. item in Jurispr. Eccleſ. lib. 2. tit. 2. def. 33.* Clandeſtina impropriè talia verò dicuntur, quæ quidem coram teſtibus fiunt, ſed asbque Conſenſu parentum & hæc non ſunt legitima, ſed de jure civili in foro Proteſtantium ipſo jure nulla, §. *12. Inſt de Nupt.* licet centum vel mille teſtes præſentes fuerint ; Unde liberi ejusmodi clandeſtina ſponſalia facientes, ea propter carceris pœnâ , vel aliâ ordinariâ puniri valent ; ſecundum Carpzov. *in Jurispr. Conſiſt. vel Eccleſ. lib. 2. defin. 50.* & ſi liberi contra parentum conſenſum clandeſtina ſponſalia feciſſent, & juramentô confirmaſſent, tamen non ſunt valida ; imò ſi per benedictionem ſacerdotalem conſummaviſſent, plerisque in locis, præſertim in Saxoniâ, migrare eos oportet ex illis Provincijs, atque à Parentibus in totum poſſunt exheredari, vid. Carpzov. *d. lib. 2. def. 61.*

*TH. II.*

Quoniam verò Conſiſtoriorum ordinatione quoque ſponſalia clandeſtina ob conjugij dignitatem, cum Deum Autorem, uti ſupra dixi, agnoſcat, ſunt prohibita, ut & ob publicam honeſtatem, quæ non in angulo, vel clam, remotis teſtibus & arbitris de puellari pudicitia tractare admittit, multaque inconvenientia & abſurda exinde oriuntur, meritò illa pro illicitis & invalidis reputantur, quia exinde lites inextricabiles, perjuria, & inceſtuoſæ copulæ eveniunt ; Sæpisſimè etiam vilis conditionis homuncio cum honeſti & excellentis Viri Filia clande-

deſtina poteſt facere ſponſalia, quæ tamen legibus ſunt invalida *l. 44. ff. de ritu nupt.*

*TH. III.*

Certò reſpectu autem Clandeſtina Sponſalia poſſunt fieri valida, præprimis, ſi adfuerint teſtes duo ad minimum, licet Conſenſus Parentum ab initio defecerit, modo ſubſequatur; diſtingvendum etiam eſt, an liberi ad Sponſalia adhuc contrahenda conſenſum Parentum requirant, vel eum in Sponſalibus reſervaverint, eaque ſub conditione hac, ſi Parentes conſenſerint, celebraverint: An verò Parentibus irrequiſitis Sponſalia pure & perfectè jam contraxerint; poſito caſu priori, Parentes abque juſta cauſa & impedimento nuptias nequeunt impedire, Carpzov. *ſuprà alleg. l. 2. t. 3. def. 53.* Poſteriori verò caſu; ſi nimirum clandeſtina deſponſatio, inſcijs Parentibus, præceſſerit, Sponſaliaque contraxerint pure, ſufficit hæc ipſa ratio, quod liberi Mandatum & Præceptum DEI neglexerint, de honorandis Parentibus, ſeque ipſos è Patriâ poteſtate, contra voluntatem Parentum ſubducere voluerint, nec cogendi ſunt Parentes, ut præter hanc rationes adducant alias; uti benè annotavit Dn. Gerhardus *in loco de Conjug. §. 89. pag. 163.* & ſanè in hoc etiam convenit, quod Bidenbachius ſcripſit: Si Parentes unam illam cauſam juſtè poſſint prætendere, quod clam vel iſtis inſcijs liberi minorennes alijs fidem dederint, & quod altera pars nuptias quæſiverit clandeſtinas, ſi contra ordinationem publicam fecerit, cum parati ſint ipſi Parentes de honeſtis nuptiis ſuo tempore proſpicere liberis, non poſſunt urgeri fortius, & hoc caſu reſcinditur Matrimonium in Conſiſtoriis, ſi maximè Parentes non habeant alias diſſentiendi cauſas, *can. matrim. c. 1. quæſt* I.


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0015-9

Nam Autoritas & Conſenſus Parentum ſemper debet præcedere Nuptias vel Sponſalia, *pr. J. de Nupt.* perinde ut tutoris autoritas quæ poſt actum interpoſita eam haud corroborare valet, niſi de novo actus celebretur, *§. Tutor. inſt. de auct. Tut. l. 9. §. Tutor ff. eod. tit.*

# CAPUT III.

## *De quatuor cauſis legitimorum, clandeſtinorum, & ex poſtfactô legitimatorum Sponſaliorum.*

*TH. I.*

CAuſa efficiens in Sponſalibus legitimis eſt conſenſus, *l. 4. l. 11. pr. ff. de Sponſal.* non Sponſalia ineuntium ſolùm, ſed etiam eorum, quorum ſunt in poteſtate, *l. 7. §. 1. ff. b. t.* ex quo §. quoque probatur, tacitum Parentum conſenſum ſufficere, modo certus & non præſumtive ex verbis ambiguis collectus ſit, Carpzov. *Jurisprud. Eccl. lib. 2. def. 42.* ita etiam in clandeſtinis ſponſalibus inter ſponſum & ſponſam requiritur Conſenſus, qui præcedere debet, & Cauſa efficiens eſt, præprimis ex poſt facto legitimatis Sponſalibus Clandeſtinis, ſi vel tacitè connivendo, & expreſſe conſentiendo Paterfamilias liberorum Sponſalia Clandeſtina ratihabeat.

*TH. II.*

Materia vel objectum circa quam verſantur ſponſalia, tàm publica, quam clandeſtina ſunt ſubſequentes Nuptiæ, Weſenbec. *b. t. num. 5.* Sicuti enim differt mutui promiſſio ab executione promiſſi, ita etiam à Nuptiis

Spon-

Sponſalia; unde matrimonij ſpes, & ſperatæ nuptiæ eadem appellantur, *l.13.§.3.ff.ad L.Jul.de Adult.l.6. ff.de Sponſal.*

TH. III.

Cauſa formalis ſubſtantialis ſponſaliorum etiam clandeſtinorum, per argumentum, conſiſtit in ſponſalitio conſenſu futurum matrimonium inducente; *l.4.l.7.pr. & §.1.l.8.ff.hoc tit.* ubi bene obſervandum, quod interponatur conſenſus, vel expreſsè, vel tacitè; Tacitè per ſigna, factaq; conſenſum exprimentia, e.gr. ſi virgo aut uxorei, qui deſiderat eam in uxorem ducere, annuat & dextram in ſignum matrimonij contracti præbeat, oſculum imprimat, vel annulum oblatum accipiat, licet ne verbulum proferat; expreſsè verò conſenſus fit per ſtipulationem, *l.1.& 2.ff.h.t.* vel per alia de futurò matrimoniò inducentia verba; Formam verò accidentalem quod concernit, ad eam pertinet, ſponſalia poſſe contrahi, vel purè, vel in diem, vel ſub conditione, *t.t. X. de condit. appoſ.* & ſi conditio ſit neceſſaria, haud obligationem differt, *l.9.§.1.ff.de novat. l.79.ff.de condit.& demonſtr:* Adjecta conditione impoſſibili verò, irrita fiunt ſponſalia, *c.f.in f.X. de condit. appoſit.* vid. Carpzov. *in Juriſprud.Eccleſ.lib.2. def.23.num.1.& ſeqq.* Si verò conditio ſponſalibus annexa, eſt turpis, ſimulque pugnat cum ipſa matrimonii ſubſtantia, reddit ſponſalia nulla, *c.f.X. de condit. appoſita.* ſimpliciter verò turpis conditio appoſita, habetur pro non adjecta, *d.c.f.X.de condit.appoſita.* & hoc fit ideò, ut petulantiæ eorum, qui inſidias pudicitiæ ſexûs imbecillis ſtruunt, injiciatur frænum, Carpzov. *d.def.23.* & quia etiam conditiones ſunt honeſtæ & licitæ, quæ ſponſalibus apponuntur, ideò obligationes ſponſaliorum ſuſpenduntur.

tur. *arg.l.213. de V. Sign.* conditionibus tandem exiſtentibus, rata & firma, absque novo interveniente tractatu, fiunt ſponſalia.

*TH. IV.*

Cauſa Sponſaliorum finalis eſt ſubſequens Matrimonium, Weſenbec. *h.t. num.* 7. & quoniam ſponſalia clandeſtina variis modis poſſunt fieri publica & legitimata, de quibus videri poteſt Carpzov. & alii Autores, causâ demum finali appoſitâ, etiam brevitatis ſtudiô ob penuriam temporis, Diſputationis noſtræ Inauguralis facimus in Divini Nominis Gloriam

FINEM.



EUropa ſævis dum calet ignibus,
Et Martiali concrepat Ægide,
Legum lacertos literatos
Bellè doces ſuperare SCHINDLER.

*Ita DN. Diſputanti applaudit*
*Almæ Univerſitatis Geranæ RECTOR*
*JOANNES PHILIPPUS* Streit/ *J.U.D.*
*Elector. Regim. Conſil. & Fac. Jurid. Aſſeſſ.*

*CLandeſtina negas, ſponſalia publica rectè*
*Lætis auſpicijs ſint Tibi fauſta precor.*

*Properanti Calamo ſcribebat*
JOANNES MATTHIAS WINCOP,
Phil. & J. U. D.. P.P. & Facult.
Jurid. Decanus.

CUm Tibi Juſta Themis nubat, Clariſſime Schindler,
Et nectat ſertum Sponſa venuſta Tua;
Sponſe, ſpopondiſti, Sponſæ ſponſalia ſponde
Munera, Muneret hæc munere Munificus.

*Hisce*
*Nobil. & Clariſſimo DN. Candidato,*
*Fautori ſuo honorat. congratulatur*
*JOH. HENR.* Meier/ *D. Prof. Decretal.*
*Publ. Facult. Jurid. Senior, & Electoral.*
*hujatis Judic. Aſſ.*

TRactaſti Themidos ſtudio, SCHINDLERE tenaci.
Aurea Sacra, foroq; ſatis tua cognita laus eſt;
Fungeris ecce! Tuo jam jam quoque munere rite,
Doctâ contortos dum dexteritate reſolvis
Doctorum nodos, juris q; oracula pandis.
Quid tandem reſtat! Quæ ſperas præmia tandem?
Splendida: Nam Phœbus Tibi mox feret ipſe coronam,
Quæ mediâ neſcit nunquam marceſcere brumâ.
Gratulor augmentum hoc Tibi nobile, Fautor, honoris;
Opto Tibi ac aliis hinc commoda larga redundent!

*Ita gratulatur*

ERNESTUS Tengell / J. U. D.
Prof ord. Dig. & Fac. Jur. Aſſ.

*EPIGRAMMA.*

S*At benè, ſi citò ſat*, dicunt Te carpere honores;
Carpere Te credo *ſat citò, ſi benè ſat.*
*Sat benè, ſatque citò* cùm ſumas præmia Doctûm,
Adſumas, voveo, *ſat* quoque *feliciter!*

*Ita meritiſſimas Nobiliſſ. & Conſultiſſimi DN. DOCTORANDI dignitates Academicas votivè perſequitur*

JUSTUS VESTI, Med. D. & P. P.

C*Landeſtina vetas Sponſalia, publica laudas,*
*Quam,* SCHINDLERE, *Tuo fervidus ingenio.*

Sponſus

*Sponſus cum Sponſa celebres Sponſalia fauſta;*
*Pro merito laudis! quid precer ipſe magis?*

Sic ominabatur, & Nobiliſs. DN DOCTORANDO, Affini honoratisſimo per Honores Academicos Sacræ Themidi ſeſe deſponſanti, die Inaugurali applaudebat

*JOHANN ANDR.* Fiſcher / *Med. D. Prof. Publ. E. & Med. Prov. Ducal Iſenac.*

Herr *L. MartIn sChInDLer. 1702.*

DIe Muſen ſuchten hier in deſſen werthen Nahmen/
Das Jahr / in welchem Ihn die Pallas hat gekröhnt/
Und als Sie/biß auff eins damit zurechte kamen/
So ſehen Sie ſich faſt vor jedermann verhönt.
Apollo wuſte ſelbſt der Sache kaum zu rathen/
Wenn man zu allen Glück die Venus nicht erblickt;
Denn als Sie dieſe nur/im Schertze gleichſam baten:
Was ſich denn hätte wohl zum Nahmen noch geſchickt?
So lachte Sie und ſprach: Das weibliche Geſchlechte /
Kan hier noch etwas thun. Setzt ein RoſIngen bey/
Denn kommen Er und Sie in allen wohl zu rechte /
Uñ habt Ihr Siebenzehn mahl hundert uñ auch drey 1703.
Apollo muſte nur deß Einfalls ſelber lachen /
Denn ob die Venus gleich voll Intereſſe ſchien;
So warens aber doch nicht ungeräumte Sachen/
Daß Braut-und Doctor Krantz auff einem Haupte blühn.
Die Themis wüſte nun den Vorſchlag mit zu preiſſen;
Doch rechnete man hier noch einen Scrupel aus!
Wenn ſich das Glücke möcht/mit einer andern weiſen;
Und käm ſo denn die Zahl auff noch viel Jahr heraus.

Hier nechſt Apollo Rath: Man laß alſo geſchehen;
Man zehle zwantzig noch/ja mehr als dreyſig Jahr/
So iſt Herr Schindlers Glück auff eins nicht angeſehen;
So froh Er heuer iſt/ſo ſey Er immerdar.

Dieſes letzte wüntſchet zugleich mit/deß Herrn *Lic.* zeitherige Tiſch-Geſellſchafft/ bey Tit. Herrn FRANCISCO DIONYSIO Fiſchern/ Stadt-Voigt und Hauptmann/wie auch vornehmen Apotheckern alhier.

---

WAs lange wärt/wird endlich gut.
Die Themis hat in etwas aufgeſchoben
Zu crönen Dein geehrtes Haupt:
Doch hat ſie/eh' manns ſelbſt geglaubt/
Dich nun auf ihren Schooß erhoben/
Indem ſie ſieht/was deine Klugheit thut.
Was lange wärt/ wird endlich gut.

Die Ehre folgt der Tugend nach.
Drum/weil mit recht die guten Weißheits-Poben/
Die wir anheute von Dir ſeh'n/
Und billig nach Verdienſt erhöh'n/
Der Eigenſinn muß ſelber loben/
Erlangſt Du/was die Mühe längſt verſprach.
Die Ehre folgt der Tugend nach.

WohlEdler Schindler/ groſſer Freund/
Der Himmel fördre Dein Beginnen:
Er führe deinen Nahmens-Ruhm/
Als ein erworb'nes Eigenthum/
Biß an die hohen Himmels-Zinnen/
Und gebe was Dein Hertze wünſcht und meint/
WohlEdler Schindler/groſſer Freund.

Mit dieſen wenigen ſolte ſeine *Devoir* Glückwündſchend ablegen des Hn. *Doctorandi* gehorſamſter Diener
BENJAMIN Laur/Ss. Theol. Stud.

ULB Halle 3
005 355 346

Vd 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0023-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0024-9

I. N. D. N. J. C.

*DISSERTATIONEM INAUGURALEM,*

DE

# SPONSALIBUS CLANDESTINIS,

*SUB PRÆSIDIO ALTISSIMI,*

EX CONSENSU INCLYTI JURIS-CONSULTORUM ORDINIS IN CELEBERRIMA, PERANTIQUA MOGUNTINENSI ELECTORALI ACADEMIA QUÆ EST ERFURTI,

## PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores, Immunitates & Doctoralia Privilegia legitimè riteq; conſequendi,*

Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni decenter ſubmittit

## MARTINUS SCHINDLERUS

Schneebergâ-Miſnicus,

*IN AUDITORIO JCtorum MAJORI,*

Horis conſvetis.

*A. O. R. 1703. die 30. Junij.*

ERFORDIÆ,

*Typis Joh. Henr. Groſchij, Acad. Tyogr.*

27.

5

1703,5

24.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-659981-p0025-5